



[Faint, illegible handwriting on aged paper]



1613 1

31

D E C A S

PROBLEMA-
TVM PHILOSOPHI-
CORVM
DE

PHILOSOPHIÆ ESSEN-
tia: usu: præstantia: normis: Con-
sensu cum Theologia: par-
tibus,

PROPOSITA

*Libero Philosophantium iudicio, in
Anhaltinatus Lyceo:*

XXVI. IXbris. horâ VIII. matutinâ.

PRÆSIDE

M. MARCO FRIDERICO VVENDE-
LINO, Illustris Gymnasii Rectore, &
Philosophiæ Professore.

RESPONDENTE

SAMVELE SPECHT
Glogovient: Siles:

Anno à nato Christo M. DC. XIII.

SERVESTÆ

Excudebat Zacharias Dörfferus.



V I R O

Reverendo & Clarissimo

Dn. M. ABRAHAMO
SCULTETO,

*Consiliario Ecclesiastico Palatino
gravissimo,*

Verbi divini in Ecclesiâ Heidelber-
genſi præconi diſertif-
ſimo,

*Mecanati & amico meo ſanctè
obſervando.*



Salutem

à

D E O.

Cur hanc problematum decadem,
Reverende & Clarissime Vir, tibi
inscribam, causa est non una. Ob-
versatur modo mihi, non jucundissimi
tantum gratissima convictus olim me-
moria: sed & perpetui illius convivij,
lætæ inquam mentis, me quandoq; ut
ajebas, μελαγχολικώτερον, mirifice afficien-
tis suavissima recordatio. Stant recta
meritorum tuorum meo in pectore à
te erecta tropæa: stabunt, nullis fortu-
næ concussa injurijs. Adhuc vivunt,
quæ in charybdi mihi quondam diffi-
cillimâ (mentem intelligis) laboranti,
vivacia suggestisti solatia & consilia:

A 2

quæ

quæ, quoties in cogitationum mea-
rum me centrum confero, oscitantem
quodammodo, & de habendâ, ne di-
cam referendâ, gratiâ haud admodum
cogitantem, celeusmate quasi excitant
& increpant. Aures vellicant aliquot
tua monita, è quibus desiderio schola-
stici nostri status cognoscendi flagrare
te intelligo. Aures circumsonant au-
spicatisissimis rumoribus, rerum à te in
Angliâ non ita pridem optimè gesta-
rum: quæ gratulabundum me hâc
qualicunq; gestientis animi significa-
tione ad te rectâ jubent decurrere.
Quid dicam? δεκάς hæc περιλήματων, quo-
tandem iudice absolvi æquius vel da-
mnari possit, quâ eo, qui & Theologus
φολοσοφικώτατος, & philosophus θεολογικώτα-
τος? Vera loquor. Loquuntur, tacente
me, Patres criticam tuam καὶ θεοθηγῆ ex-
perti falcem. Loquuntur Mores,
τῆς τῶν μακρολόγων ἀταξίας ἐλευθερωθέντες, & acro-
ris

ris ingenij tui cultura cultissimi. Lo-
quuntur pieriodici astrorum motus ,
te vindice , innumeris contrarieta-
tum ἀτόποις liberati. Loquuntur deni-
que ἀδέκασσι celeberrimarum Academi-
arum, Cantabrigiensis & Oxoniensis ,
Anglicarum suffragia, meo ut egere mi-
nime videaris.

Intelligis, opinor, Clarissime Vir, hanc
περὶ βλημάτων δεκάδα, nonini tuo inscriptam,
triplici à me mandato instructam ex
Anhaltinatu in Palatinatum migrare.
Dicto igitur audiens si fuerit, & Domi-
ni jussa fideliter fecerit : innumera tua
in me merita apud me nunquam inter-
moritura testabitur : felicem ex Angliã
in Germaniam reditum tibi gratulabi-
tur : omnem denique Gymnasij nostri
statum paucissimis effabitur. Tu mo-
dò, Mecænas, εὐπαρόσιτον te exhibe, & ad-
ventantem tristiori vultu malè sperare
ne jube. Tibi certè, ut , antequam
A 3 esset,

esset, mente destinabatur, sic officiosâ
nunc, postquam est, à manu transmit-
titur. Vale, & quàm diutissimè vive,
DEO, Ecclesiæ, Tuis, & ijs, qui animi-
tus te venerâtur: quibus & me si annu-
meraveris, haud sanè erraveris. Da-
bam Servestæ. 20. Novemb. Anno
1613.

T:

observantissimus

*M. Marcus Fridericus
VVendelinus Gymn:
Rect:*



Lectori benevolo S.

Errata, quæ oscitantibus operis typographi-
cis obrepserunt, lector humane, sic corrige:
lege igitur pag. 2. l. 19. ratae pag. 5. l. 18. libitinis
pag. 6. l. 26. Credimus. pag. 7. l. 25. disciplinarum.
pag. 8. l. 17. perniciem. pag. 23. l. 28. Ethnicorum: ex
orbitantes. pag. 33. l. 26. possit pag. 34. l. 14. dele
sed, & post sensibili lege, sed & universali. pag.
35. l. 17. post verba, in metaphys: omissa huc pone
agunt. Taceo quod lib. 7. & 8. Metaphys: & l. 32.
physica. Alia, quæ vel in accentuum positione,
vel in sententiarum distinctione, forte peccata
privata tua emendabit industria.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Lectio benevolens

Main body of faint, illegible text, likely a lecture or treatise. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side.





D E C A S

PROBLEMA-
TUM PHILOSOPHI-
CORUM.

D E

PHILOSOPHIA
in genere.



QUÆSTIO I.

*Quomodo Philosophia rite sit de-
finienda?*

IN accurata Philosophiæ finitione,
multi, pleriq; Philosophi. Plato, more
suo, hoc est, αἰνιγματώδως καὶ πολυτρόπως
definit, modo ἀπαλλαγὴν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ
σώματος: modo ὁμοίωσιν θεῶν κατὰ τὸ δυνάτον ἀνθρώπῳ: mo-
do μελέτῳ τῶν θανάτων: modo γνῶσιν θεῶν ἢ ἀνθρώπων πραγ-
μάτων, καὶ τῶν ἐν τούτοις αἰτίων. Quæ verba Cicero inter-
pretatus penè & benè 2. Off. Philosophia, inquit, est
divinarum humanarumq; rerum cognitio. Stoici, Plutar-
cho

A

cho

cho autore, ἀσκησὶν τέχνης ἐπιτηδεῖς, ἐπιτηδεῖον δ' εἶναι μίαν καὶ
ἀνώτατον τὴν ἀρετὴν ἀρετῆς δὲ τὰς γενικωτάτας τρεῖς, Φυσικὴν,
ἠθικὴν, λογικὴν. Sed è prioribus definitiones hæc peti-
tæ seculis, & encomia potius quædam tam generalia
quàm specialia: nisi si forte postremam Platonis, quæ
& Ciceroni videtur arrisisse, à vero propius ab-
esse quispiam crediderit. Nostra quid tulerit ætas,
antiquo isto & literato seculo, haud in felicior, dix-
rim penè & accuratior, disquiramus. Crellius genio
& ingenio fortunatus, suis in acroamaticos περιλεγόμε-
νοις absolutam, & ut arbitratur, numeris omnibus,
perfectam Philosophiæ definitionem hanc exhibet:
Philosophia, habitus est animi, qui scientia constat & pruden-
tia. Sequuntur hunc Academicarum pleræq; & scien-
tiæ nomine Philosophiam speculativam, Prudentiæ
vero, practicam intelligi volunt. Isti, Metaphysicam,
Physicam & Mathematicam; huic, Politicam, Ethicam
& œconomiam accensent; sequestratis à philosophiæ
civitate reliquis artibus liberalibus: indignum rati &
iniquum plane, eodem contineri censu, disciplinas,
quas vocant, rationales, & reales.

Nobis, etsi in nullius verba Magistri unquam jura-
vimus, & cum Scaligero, nil infelicius ingenio iis ef-
se credimus, *quem mordicus tenet, maiores nostros nihil igno-*
rasse: istud tamen Platonis placitum dialogo περὶ τῆς Φι-
λοσοφίας notarum haud displicet. Quærenti igitur, ποῖα
μάλιστα τοπάζουσι ἅττα εἶναι τῶν μαθημάτων, ἃ δεῖ τὸν Φιλόσο-
φον μαρναίνεσθαι; Respondit sapiens, ὅτι κάλλιστα ταῦτα εἶναι τῶν μα-
θημάτων, καὶ προσήκοντα, ἃ φ' ἂν αὐτὸν πλείστην δόξαν ἔχοι τις εἰς Φι-
λοσοφίαν: πλείστην δ' αὐτὸν ἔχοι δόξαν, εἰ δοκοῖη τῶν τεχνῶν ἔλπεσθαι
εἶναι πᾶσάν, εἰ δὲ μὴ, ὡς πλείων γε καὶ μάλιστα ἀξιολόγων, μα-
θῶν αὐτῶν ταῦτα, ἃ προσήκοντα εἰς ἐλευθέριον μαθεῖν, ὅσα ξυνέσε-
ως ἔχεται, μὴ ὅσα χειρουργίας.

Rotunda sunt & plana Pla-
tonis

tonis verba, è quibus sic arguimus.

A quibus disciplinis philosophus quispiam denominatur, eæ partes omnino sunt philosophiæ, vel ipsa philosophia.

Atqui ab omnibus disciplinis liberalibus philosophus quispiam denominatur. Ergo omnes disciplinæ liberales partes sunt philosophiæ, vel ipsa philosophia.

Propositio manifesta est: Concreta namq; talia à suis abstractis dicuntur. Assumptionis prosyllogismus ex Platone sic elicitur.

Quorum notitia insignem philosopho, quâ talis, gloriam conciliat, ab iis omnino philosophus denominatur.

Atqui artium liberalium notitia Philosopho, quâ talis, insignem gloriam conciliat: Ergo &c.

Propositio luce sua clara est: Cum omnis philosophi, quâ talis, gloria, aliunde quàm ex philosophia proficisci non possit. Assumptionem totidem verbis habet Plato.

Quid igitur morosi tantopere & difficiles, philosophicæ civitatis jure liberales quasdam artes exuamus, quo plurimis ante nos seculis à Platone eæ sunt donatæ? Adeone de nobis male meritæ? aut si benè: cur immemores adeo nos & ingrati?

Sed vos, ô Musæ (logicam, Rhetoricam, Grammaticam appello) res enim agitur vestra: vestram asserite gloriam. Ejectæ, dicitis, sumus, aut nudâ rigidi cujusdam dictatoris autoritate: aut ipsa ratione civitatis jure indignas nos esse evincente. Dictatoris autoritate, uti est vero simile, si honoratiorum ejectæ sumus numero civium, pace bonâ, refragante nemi-

ne, antiqua capeſſimus jura. Quis enim iſte Dictator, qui ſuam in nos uſurpet autoritatem? Siccine vero nobiſcū agier, ut quem noſtra facere imperata parerat, ſuis nos ſubmittat faſcibus? Apage vero iſtos à philoſophiæ Republ: Dictatores. Libera ſumus turba, & ſolo rationis arbitrio agentes. Sin rationum preſſari nos ponderibus forte an exiſtimetis. Cedò pondera, En veritatis pendentem trutinam. Eſt forte qui nos dicat eſſe instrumenta: Verſari non in rebus, ſed in conceptibus, immo in conceptuum conceptibus, ideoque Philoſophiæ manibus excludendas. Heu pondera! Heu montium partus! At vero ſpectatum admiſſi, riſum cohibete. Leviculæ ſunt nugæ & mures: nomina equidem noſtra rodentes, aſt è tabulis non eradentes. Sequelæ rationem utrobique negamus. Instrumenta ſumus: fatemur: ideoque partes haberi non poſſumus? inficiamur: quin noſtris noſmet armis defendentes: instrumenta dicimus eſſe vel conjuncta vel ſeparata: hæc partium rationem licet haud ſubeant: ſubire tamen illa minime negandum, niſi manum forte quiſpiã, quam *ὄργανον ὄργανον* Ariſtoteles vocat, hominis propterea partem eſſe negandum exiſtimet. Nec alterum, de objecto, opprobrium ponderoſius: quis enim realibus duntaxat entibus Philoſophiæ deſcribi limites iſſis conſeſſerit? De injuriã igitur factã nobis haud immerito querimur. Proindeq; accuratam iſtam definitionem, definito ſuo longe anguſtiorẽ pronunciamus. Æquiorẽ vero hanc damus.

Philoſophia eſt compages ſcientiarum & artium liberalium, aptã unione & connexionẽ inter ſe
con-

conformatarum, defectus hominis, quoad fieri
per naturam potest, supplens.

QUÆSTIO II.

An usus Philosophiæ aliquis lau-
dabilis? Aff.

Non nova hæc est quæstio, sed jam olim agitata,
& inter eos potissimum, quibus, *sed præstat*
motos componere fluctus, nunquam fere non
frequentata. Hinc videas exulare plerunq; & carbo-
ne notari misellam philosophorum gentem, à consi-
liis excludi, post fores statui, ad purgamenta detrudi,
stultitiæ argui, & velut fortunæ ludibria haberi. Coc-
lum & terram! *Vituperare*, inquit Tullius, *quisquam vi-*
ta parentem, & hoc parricide se inquinare audet, & tam
impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet?
ô cæcas mentes! ô pectora cæca! Siccine malè sanis in-
geni reliquiis ad Philosophiæ vituperium vos abuti?
Scilicet Libidinis hisce, & inauspicatissimis avibus,
tenebrarum alumnis, hoc unicum cordi, ut exusto in
omnibus rationis lumine, cum Cyclopibus Cyclopes
agant, & foedissimas inscitæ strumas communi istâ
caligine involuant? Non ea nobis mens, ut qui exem-
plis edocti & rationibus, Ciceroni facile assentimur,
in philosophiæ laudem sic exclamanti. *O Vita philo-*
sophiæ Dux! ô virtutis indagatrix, vitiorumq; expultrix!
Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse
potuisset? Tu urbes peperisti: Tu dissipatos homines in socie-
tatem

etatem vita convocasti &c. Tu in ventrix legum: Tu magistra morum & disciplina fuisti: Tu vita tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti. Dies me, jam deficeret, si exemplis firmare verissima hæc Ciceronis effata niterer. Nonne vero *vita dux, virtutis indagatrix, & vitii expulserix* Philosophia? Quæ alterâ sui parte, practicam intelligo, virtutem nequitia vinculis implicatam explicavit: libidinem efferatam frænavit: irarum æstus extinxit: excussas rationis habenas restrinxit: custodem prudentiam ad mentis limen posuit, ne quæ forte præsidio tenebrarum elapsæ cupidines, vel divina vel humana jura protererent: Hæc Socrati Pietatis, Alexandro fortitudinis, Agesilao Sobrietatis, Scipioni castitatis, Clementiæ Cæsari, Comitatis Augusto, Humilitatis Trajano, Liberalitatis Cimoni, Justitiæ Aristidi, Evagoræ innocentia, Epaminondæ veracitatis, Attalo gratitudinis leges præscripsit.

Quid non modo nos, inquit Tullius, sed vita omnino hominum sine te esse potuisset?

Tu hominem ad DEI, ad sui, ad disciplinarum superiorum notitiam adduxisti. Subsiste quæso paulisper, Politice, & quam verè Divæ huic triplex isthæc notitia, adscribatur, intellige.

Non primi nos, magnifice adeo de philosophiâ sentimus. Gentium doctori Paulo si credidimus, τὰ ἀνοήτα θεῶν, δὲ πὸ κλίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοόμενα, καθορίζεται, ἢ τε αἰδῖος αὐτῶν δυνάμις, καὶ θεότης. Equibus vero ista pervidentur? Vaccis, canibus, fuis, & id genus ad partum abjectis animantibus? tibine? cui anima penitus obbruit: cui τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα, ut Plato inquit, κατωργουμένον: cui βροβόρω βαρβαρικῶ mens plane immer-

immerfa. Vix credo. Occlamabit tibi in naturæ adyta
illotis pedib9 irruenti, Philosophia, *ἐκασ ἐκασ ἰσθι βεβηλῆ:*
cultoribus nostri huc solis ingredi datur, & nostris ve-
lutialis subline elatis, in numinis notitiam penetrare.
Numero, pondere, mensur.3, immensus ille conditor o-
mnia condidit. Tu numerum, & è numero condito-
ris sapientiam: tu pondus, & è pondere conditoris po-
tentiam: tu mensuram, & è mensura conditoris justi-
tiam, nostris absq; præceptis indages?

Basilium audi: *τὸ κόσμος κατοικητήριον τῆς θεογνωσίας
παιδότηριον, καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖόν ἐστι.* Eccui ve-
ro? tibine? cui mero gravata supercilia, cui manus, cui
pedes lubrici, cui tota dormitur dies, cui quietia no-
ctis silentia inquietantur. *Ἄπαγε ταῦτα τῆς φύσεως ἀ-
μαρτήματα.* Philosophi hac schola: inscriptum ei, quod
foribus quondam Templi Eleusinae Cereris. *Nemo huc
ingrediatur, nisi sua sibi innocentia conscius.* Ingressus hanc
quondam Abrahamus, Philone Iudæo teste, ad DEI in-
vestigationem pervenit. E caelis namq; & Elemen-
tis, ex sempiternis motibus, ex ordine invariabili, ex
statâ annorum ratione & temporum, affecutus profe-
cto est sapientiam, à qua omnia ista, tam certa, tam
constantia regerentur. Abiectis igitur spretisque
Deorum insaniis, quæsit illam & coluit. Moses, Ba-
silio magno autore, Ægyptiacarum pisciplinarum co-
gnitione ita mentem exercuit; ut ad contemplatio-
nem *τὸ ὄντ* pervenerit.

A DEO ad nos si transitus fiat, heu quanta se lau-
dum offert seges! Quis hominem nosset, nisi viam phi-
losophia præiisset? Rarum illud, quod Lucretio teste
è Coelo descendit, *Γνώσι σεαυτὸν*, unde quaeso, nisi è
Divino illo Philosophiæ orbe: sive animum sive cor-
pus

pus hominis horumq; dignitates & prærogativas spectes. Tua hæc laus, ô Philosophia! tu quam angusto artificio, & angusto opificio, immensam mundi naturam, in hominem tantillum incluserit opifex, sola ostendis.

De facultatibus quid dicam superioribus? Nonne & hæc ad sacrum philosophiæ asylum confugiunt? Theologiam non attingo, peculiarem enim illa meretur quæstionem. Juris prudentiam & Medicinam leviter saltem perstringo. Quis ille tandem juris peritus, qui nec prudentiæ suæ intelligere principia, nec legum causas reddere valeat? At nunquam valebit: nisi philosophus idem sit practicus: fontes nisi, unde suos deduxit rivulos, noverit. Hinc videas sæpenumero monstrosas & portentosas forensium rabularum sententias, ab omni ratione & naturæ privilegio alienas, è trivio arreptas, & in misellæ plebis perniciem assertas.

De Medicina, cujus vulgo duas constituunt partes, Theoricam & Practicam, notior est res, quam ut nostra egeat luce. Alio properantem ergo Ciceronem lubentes sequimur: *Urbes Philosophia peperit, & dissipatos homines in vita societatem convocavit.* Quidni? An agrestis adeo & rudis est, qui nesciat, initio genus hominum, in montibus ac Sylvis dissipatum, prudenti consilio compulsum, & disertorum oratione delinitum, se oppidis manibusq; sepsisse? *Erat quondam tempus, inquit Cicero, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & victu ferino sibi vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraq; viribus corporis administrabant: Nemo legitimas viderat nuptias: nemo certos inspexerat liberos: quo tempore quidam magnus vide-*

videlicet vir & sapiens, dispersos homines in agris & locis
Sylvestribus abditos, ratione quadam compulit in unum lo-
cum & congregavit, & eos, ex feris & immanibus mites
reddidit & mansuetos.

Tu legum inventrix, inquit Cicero, tu magistra mo-
rum & disciplina fuisti. Vere mi Cicero. Testes locu-
pletes produco: Athenienses, Corinthios, Megalopo-
litanos, Mitylenæos, Samios, Thebanos, Thurios, qui
ad Philosophiæ oracula leges petitem iverunt.

Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es. O Aure-
am Philosophiæ sobolem! quam, si forte offendit, con-
servavit, si desideravit, reparavit. Critolaum nōmino
& Carneadem Philosophos, qui cum ab Atheniensi-
bus ad Romanos firmandæ pacis causâ missi essent,
tanta dicendi gravitate Senatū perpulerunt, ut non
qui persuaderent, sed qui cogerent, ab Atheniensibus
missos diceret. Alios ab annalium fide frequen-
tatos, Zaleucum, Charondam, Thaletem, Chilo-
nem, Cleobulum, Pittacum, quorum togatis tem-
poribus præclara in Respubl extitere merita, non no-
mino. Adduriora & tristiora reparandæ tranquilli-
tatis propero remedia. Hanc ad grave Classicorum
murmur si cites, vultum aspicias imperterritum, &
manus promptissimas. Prorumpet Architas Taren-
tinus, belli dux sextum. Injussi adventabunt Plato, So-
crates, Solon, Melissus, Xenophon, qui stipendiis e-
jus penè emeriti, terrestribus navabilibusque præliis
duces interfuere: in castris locandis, in acie struendâ,
in machinis inveniendis, in stratagematibus excogi-
tandis longe ingeniosissimi & felicissimi. Eant jam &
maledicentiæ suæ virus in Philosophiam evomant,
ingrati, rudes, insani. Atqui Principibus, inquis, cum

B Philo-

Philosophiâ quid commercii? Heus tu infelix! Eceui,
nisi Principibus cum Philosophiâ commercium esse
paret? Nonne sapientes & prudentes vis esse prin-
cipes? Credo equidem: nisi ex capite laborare, pericu-
losum minus Rebus: fortean esse credis. Philoso-
phos igitur eosdem quin esse velis, quî poteris facere?
cum prudentiæ & sapientiæ magistra sola sit Philoso-
phiæ. Credidere id Mavortia illæ animæ Cæsaret
Pompejus: uterque, cum ad felicem imperii cursum
Philosophiæ se monitis indigere animadvertisset, A-
ristonis ille, hic, Cratippi fores frequentare non erubu-
it: neuter, cum dominandi libidine flagrarent ambo,
Philosophiæ servire, imperiaque ejus præstolari re-
cusavit: Platoni credentes, *Tum demum Respubl. fo-
re beatas, si vel Philosophi ipsi, vel Principes Philosophia do-
cumentis instructi, ad rerum gubernacula sederent.*

Tu mortis terrorem sustulisti. Docuit namque, Ci-
ceronis sunt verba, *in morte nihil esse mali, nec interi-
tum eam esse omnia tollentem atq; delentem, sed quandam
quasi migrationem commutationemq; vita, qua claris viris
Dux in Calum esse soleat.* Instantis Tyranni vultum
nil extimescit: exilia contemnit: & reliquos fortu-
næ lusus mascule eludit & elidit. Inde memorabi-
lis illa Dionysii Junioris regno suo expulsi Vox: Pro-
desse sibi ad hoc Platonem & Philosophiam, ut tan-
tam fortunæ mutationem facile ferat.

Conclusum igitur esto, Philosophiæ usum in omni
vitâ esse multiplicem.

Quæ

QUÆSTIO III.

An Philosophiæ desiderium sit homini
naturale? Aff.

Aristoteles, tanquam honorario totius Philoso-
phiæ exordio, testatur, I. Metaphys. cap. I.
ἡ φύσις ἀνθρώπου τὸ εἰδέναι ὅτι ἐστὶ Φύσις: quod inter-
pretatus Cicero: *Natura, inquit, cupiditatem ingenuit ho-*
mini veri inveniendi: & iterum: *Tantus innatus est omni-*
bis cognitionis amor & scientia, ut nemo dubitare possit,
quin ad eam hominum natura rapiatur, nullo invitata e-
molumento. Et sanè supervacua plane poterat esse
quæstio, nisi naturæ quædam monstra, quæ appellari
nihil ominus homines amant, externata plane, infra
bestiarum se sortem abjicerent; & furcâ quasi natu-
ram expellere conarentur: Verissimum ut esse exem-
plo suo comprobent; quod Plato alibi & Aristote-
les pronunciant. *Hominem perperam educatum deterio-*
rem evadere feris.

Vt igitur lubricam hanc viam tanto incedamus tu-
tius, pauculis quibusdam præmissis, in partem affir-
mantem inclinabimus.

Appetitus naturalis duplex est, innatus & elicitus.
Innatus, est inclinatio naturæ primitus indit, aquâ que-
vis res naturalis, in bonum, seu materialiter seu forma-
liter acceptum, est propensa.

Elicitus, est appetendi actus, quo in bonum sive

verum sive apparens, res cognitionis participes præcunte cognitione, feruntur.

Estq; vel liber omnino, vel necessarius omnino, vel ex utroq; mixtus.

Liber omnino: qui quoad actus speciem, & quo ad exercitium est talis: Illo rem sic amplectimur, ut rejicere, & sic rejicimus, ut amplecti valeamus: hoc, manente eadem subjecti notitiâ, vel pro sequi rem, vel ab eâ abstinere est integrum: Subjecti hujus nomine veniunt, quæ perfectiones in certo genere appellantur, ut loqui, ridere, ambulare.

Necessarius omnino: cujus & species & exercitium sunt necessaria: tales fere sunt appetitus brutorum, ut quæ pleno feruntur impetu in objecta sensus ferentia.

Mixtus is est, qui quoad speciem est necessarius, & quoad exercitium liber, qualis est voluntas in bonum pronæ, & à malo averfæ actus. Voluntas etenim in bonum quamvis non possit non ferri, persequendi tamen & acquirendi actum, pro liberrimâ sua dispositione, omnino potest suspendere, & lubens quandoque suspendit: idque circa objecta illa, quas perfectiones simpliciter scholastici nuncupant, ut vivere, cognoscere, intelligere, prudentem, justum esse.

His ita præmissis, assertionem veritati congruam hanc statuimus. Philosophiæ appetitus naturalis est homini, innatus, & elicitus, liber quoad exercitium, necessarius quo ad speciem: Rationes sunt hæ.

I. Id quod intellectus imperfectionem explet, ab homine naturali desiderio expetitur. Atqui Philosophia intellectus Imperfectionem explet. Ergo &c.
Propo-

Propositio inde constat, quod imperfectum à perfectio, naturæ quodam conjugio & incentivo, perfici desideret, & nil naturæ inimicum sit magis, quàm imperfectio perpetua: hinc videre est, magno naturæ nisu, etiam abjectissimas quasq; bestiolas & plantulas, ad perfectionem & maturitatem perducicam, ut speciei convenientes obire possint functiones. Esse vero naturæ quoq; instituto, imperfectum plane hominis intellectum, omniq; habitu nudum, quis est, qui possit ignorare? *Tabula sumus ab ortu rarsa*, inquit Aristoteles, *in quâ nihil depictum, depingi tamen possunt omnia.* Assumptioni fidem facit Philosophiæ inventæ finis, de quo Politic. 7. Aristoteles., *ἡ ἀσὺ τέχνη καὶ παιδεία τὸ λειπὸν βέλεται τῆς φύσεως ἀναπληρῆν.*

II. Ut materia se habet ad formam, sic intellectus ad Philosophiam. Atqui materia formam naturæ propensione appetit. Ergo & intellectus Philosophiam. Analogiæ ratio est hac. Ut enim materia imperfecta in se, & solâ formæ præsentia perfectibilis, naturæ quasi stimulus ad formæ possessionem anhelat: Sic intellectus itidem naturâ nudus & imperfectus, solâ Philosophiâ perfectibilis, naturæ lege & suasu, in eâ propēdet.

III. Omnes potentia, naturali quadam propensione, in proprias operationes feruntur: Aque Philosophicæ operationes, hoc est, scientiæ, maxime propriæ sunt intellectus. Ergo &c. Propositio firma est: Potentia enim data est propter operationem, Ergo in eam tanquam finem ex naturæ præscripto fertur. Assumptio clara est, quod intellectus operatio propria alia sit nulla, quam causarum effectorumq; sive nostrâ in potestate, sive extra eam constitutorum, intellectio, eorumq; in primis, quæ plus habent:

bent admirationis, excellentiæ & difficultatis. Atqui hæc omnia, Philosophia vel immediate suo sub imperio continet, vel saltem, ut magistra principalis, dirigit.

IV. Omnis homo naturâ est disciplinæ capax: naturâ igitur ad Philosophiæ studium inclinât: antecedens non tantum communi omnium assensu probatur, sed ex ipsâ animæ rationalis natura educitur, ut quæ integro rationis dictamine, è notioribus ignotum educere, ex antecedente consequens colligere, totum à parte, honestum à turpi valet discernere. Consequentia patet, quod DEUS & natura nihil faciant frustra: capacitatem igitur disciplinæ quæ indiderunt, ad disciplinæ desiderium non possunt non instigare.

V. Evincitur idem ex impenso sensuum & inprimis visus amore, hac ratione. Qui sensuum cognitionem naturæ quodam instinctu impense amant; in eadem duce, intellectivam notitiam non possunt non appetere. Atqui homines nos sensuum cognitionem & visus inprimis, quem scientiis aptissimum natura efformavit, impense amamus. Ergo &c. Propositionis cōsequētia est, quod sensitiva cognitio ad intellectivâ dirigatur tanquam medium ad finem, & dispositio ad perfectam formam. *Assumptionem eleganter illustrat Cicero. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendis, deterreantur? ut pulsî requirant, & aliquid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut pompâ, ludis atq; huiusmodi spectaculis teneantur, obeandemq; rem & famem & sitim perferant?* Hinc Homeri sirenas, prætervehentes ideo revocasse existimat, quod multa se scire profiterentur,

tur, ut homines ad saxa discendi cupiditate adhæresce-
rent. Hactenus de quaestione. 3.



QUÆSTIO IV.

*Quæ normæ sint, ad quas Philosophi-
ca Veritas examinanda?*

OMnibus artificibus, etiam illiberalibus, familia-
re est, certis quibusdam canonib. artis suæ sub-
jecta dirigere, quibus à curvo rectum, à notho
γνήσιον discernāt. Est enim πολυχειδὲς τὸ ψεῦδος, & specie
quādoq; veritatis obvolūtū, in mentes leniter influit:
donec tandem ipsa vetustate obtritā speciem amit-
tat, & magno cum possessoris fastidio ejiciatur. Pru-
dentia hujus in artibus adhibendæ, insigni nobis præ-
unt exemplo aurifabri, qui auri argente nil morati
speciem, ad lydii lapidis accurationem exquirunt.
Quin & aquilæ, si naturæ indagatoribus credimus, ex-
terna pullorum specie haud contentæ, in dolis boni-
tatem obtutu solis explorant: adversos solis radios, ir-
retortis qui hauriunt oculis, studiose fovēt, at ocu-
los nictatione obnubentes, degeneres veluti abjici-
unt. Quid ni igitur ad veritatis radios Philosophiæ
pillos exploremus? Sint ergo tres Philosophicæ ve-
ritatis examinandæ, normæ, Sacra Scriptura: Recta
ratio: Experientia vera & universalis.

Scripturam sacram Principe loco ideo statuimus,
quod veritatem, rei cum archetypo suo cōvenientiam
statua-

statuamus. Primus vero & generalis rerum archety-
pus, est ipse DEUS: cum hoc quæ conveniunt, veris-
sima, dubio procul, sunt habenda: Atqui vero in scri-
pturis nonne loquentem audimus DEUM? Verissima
igitur illa in Philosophicis judicamus, quib. divina ad-
stipulatur Veritas: falsissima contra, quibus eadem re-
fragatur. Notandum interim axioma: Argumenta
ad Philosophica dogmata evertenda, ex scripturâ ne-
gative ducta, non valere. Ut si falsum quispiam esse
contendat, hoc vel illud dogma, quod vel expresse vel
implicite in sacris literis non contineatur. Secun-
das damus rectæ rationi. Entia namq; , complexa in
primis, cum ratione rectâ, (quæ ambitu suo vim ra-
tiocinandi, principia & axiomata certa, demonstrata,
& demonstrationis haud capacia, includit,) consen-
tientia, assensum apud eos facilem inveniunt, quibus
rationis libertas vel præjudicio infano nondum ligata,
vel obstinatâ malitiâ occæcata.

Tertias deniq; Experientiæ veræ & certæ adscribi-
mus? hæc illa est, quæ sensuum adminiculo, per ob-
servationes & inductiones singularium comparatur,
quæ quidem tanti apud nos est roboris, ut nullis ratio-
num machinis expugnari vel possit vel debeat. Ar-
gumenta igitur ab experienciâ verâ deducta, in u-
tramq; partem sunt firmissima: Vtcunq; ergo Anaxa-
goras argutetur, & nigram esse nivem demonstrare
nitatur: experientia tamen sensuq; freti nos, albam
esse contendimus. Procul valere iussis, qui omnem
sensibus certitudinem ereptum eunt.

Duobus tamen hisce postremis, cum falli nonnun-
quam, & fallere possint, assumptâ quadam probabilita-
tis specie, hominum sive malitiâ sive incuriâ, tum de-
mum

demum fidem habemus, si cum primo conspirent, aut
saltem manifestè cum eo non pugnent: Humanam au-
toritatem, quam quarto quidam loco subjiciunt, nisi
forte illustrationis gratia, hic non admittimus, ut qui
adultæ Philosophiæ, & liberæ, non infantis & servilis
normas tradimus. *Quid enim vilius & abiectius, inquit
Pererius, aut que maior animi cacitas esse potest, quam
nihil per se sapere, nihil iudicare, totum ex aliorum sensu
iudicioq; pendere: nulla duci ratione, sed quasi pecudes alio-
rum sententia nutuq; moveri ac regi? Quid turpius, quam
hominis qui labi potuit, decreta omnia pugnaciter defende-
re, ac mordicus tenere, & quasi tempestate delatos, ad eius
doctrinam tanquam ad saxum aliquod adherescere? Unde
mirari satis nequeo, cordatissimi pariter & subtilissi-
mi cujusdam Philosophi vocem, qui nimio in Aristo-
telem affectu exæstuans, malle se, inquit, cum Aristotele
errare, quam bene cum alio sentire.* Tantum opinio præ-
judicata poterat, ut etiam sine ratione valeret autori-
tas! Non ea fuit veterum & saniorum Philosophorum
mens, qui honorariis hisce arbitris remotis, rationum
momentis veritatem ponderarunt. Inde Aristote-
les, *chari sunt nobis utriq;, Plato scilicet & Socrates, præ-
clarum tamen est pluris æstimare Veritatem.* Et Polo ju-
vene devitâ beatâ differente, In Gorgia exclamat So-
crates. *O beate, oratorum more convincere me contendis,
quemadmodum in iudicio fieri solet, ubi alij alios tum con-
vincere se opinantur, cum pro suâ causâ multos celebresq;
adducant testes, adversarius vero aut nullum aut unum
aliquem: cum ejusmodi probatio, nullius ad veritatem sit mo-
menti. Sape enim ob falsorum testium multitudinem, atq; eo-
rum etiam, qui alicui rei & pretij esse videntur, quis in-
iuste opprimitur.* Et Cicero: *Non tam autores in dispu-
tando,*

C

tando,

sando, quàm rationum momenta querenda sunt.



QUÆSTIO V.
*An Philosophi rectè in speculativam
& practicam dividatur? Aff.*

TRitissima & antiquissima Philosophiæ distinctio est, in speculativam & practicam. Plenæ hæc peripateticorum philyræ: plena antiquorum monumenta: limitem hunc ab antiquitate non sine ratione positum, transgredi nobis præter rationem minime visum. Paucis igitur de Praxi & speculatione præmissis, rem totam rationibus aliquot concludemus. Praxis est actio libera, alterius ab intellectu potentiæ, à pratico judicio per habitum practicum directa. Sic actio fortitudinis in Alexandro, praxis dicitur, non illa quidem ab intellectu profecta, Sic enim Darius non fugasset, sed constans hostis persecutio, irruptio, exhortatio, increpatio, & in defessa laborum periculorumq; exantlatio. Actio ista cum temeraria non fuerit, sed ἐκ προνοίας profecta, judicio pratico, id est, ipso Darii invadendi prudenti consilio, per fortitudinis habitum fuit directa. Judicium igitur practicum est, quod naturâ suâ ad praxin dirigitur, estq; tale, quod agendū aliquid, aut quomodo agendū sit, dicat.

Habitus vero practicus est, qui & ipse ad praxin dirigitur, mediante pratico dictamine, quod dirigit. Sic de Praxi.

Contemplatio est intellectus cognitio, quæ ad praxin

xin

in naturâ suâ non dirigitur, sed ex genere suo se ipsa est contenta, ab habitu contemplativo profecta: Estq; earum maxime rerum, quæ fieri à nobis non possunt, sed quoad naturas, & proprietates cognosci: Ex sunt, DEUS, Angeli & res omnes naturales. Ab hac contemplatione nil differt iudicium contemplativum: iudicare enim, de naturâ & proprietatibus rerum naturalium cognoscendis, nil aliud est, quam easdē cōtemplari.

Habitus contemplativus est, qui ad praxin non dirigitur, sed contemplatione seu contemplativo iudicio acquiescit. Sic igitur constat quid theórica, & practica Philosophia sit apud Philosophos. Theórica Philosophia illa est, quæ in sola rerum contemplatione natura sua acquiescit: & complectitur: Metaphysicam, Physicam: Mathematicam.

Practica, quæ res quidem sibi subjectas & ipsa cognoscit, sed non propter cognitionem, verum propter actionem è cognitione prodeuntem: complectitur in se, Ethicam, Politicam, & œconomicam: Huic instrumentales artes subijcimus, Logicam, Rhetoricam, Grammaticam.

Interim & hæc observentur:

I. Theoricam & practicam Philosophiam dici & haberi, partim ex objecto, partim ex fine.

Ex illo, ratione fundamenti: ex hoc, ratione complementi. Fundamentum enim si respicias, nata Theoricæ & practicæ Philosophiæ distinctio ex geminâ objectorū ratione: quorum quædam à nobis cognosci tantum possunt & non effici: quædam vero cognosci simul & effici: illa theoricæ, hæc practicæ Philosophiæ assignantur. Cōplementum vero quod attinet, illa demum cōpletè & formaliter theórica dicitur, quæ finē ultimū in

solâ contemplatione: & practica vicissim, quæ eundem in solâ operatione statuit:

II. Theoricam & practicam dici Philosophiam, ex fine ipsarum scientiarum, non scientium: ille enim est immutabilis, hic mutabilis.

His ita prælibatis quæstionem sequentibus rationibus concludimus.

I. Quia nulla pars est Philosophiæ cujus finis non sit vel sola cognitio, vel opus solum, ad quod cognitio, tanquam medium ad finem, dirigatur. Immediata igitur sunt membra.

II. Humana felicitas est duplex: Practica & Contemplativa: illa in actionum, hæc in cognitionis perfectione consistit: hanc theorica, illam, practica præstat Philosophia.

III. Intellectus perfectibilis est duplex, practicus & speculativus, Ergo & hunc perficiens Philosophia, est, & practica, & speculativa.

IV. Ex objecti præterea naturâ sic argumentamur: quidquid intellectui objicitur, aut ea tantum ratione objicitur, ut est cognoscibile, aut ut operabile primario: illud theoricam, hoc practicam gignit Philosophiam.

Sic igitur in theoricam & practicam, recte distinguuntur Philosophiam, concludimus.

QUÆSTIO VI.

*Ultra Philosophia sit potior &
præstantior?*

Vt.

UT gemmæ pari in honore & pretio non sunt, utq; stellarum aliæ alias splendore & magnitudine antecellunt. Sic Philosophiæ ambitu contentæ disciplina. Quæritur igitur haud immerito, Theorica Philosophia, practicæ ne præstet, an hæc illi?

Vnanimi omnium fere Peripateticorum consensu, palma Theoricæ defertur: Et si artes quidem, quas vocant instrumentales, cum Theoricâ Philosophiâ conferas, huic primas, nil cunctabundi deferimus: sin vero morales disciplinas: adhibitâ distinctione, utriusq; Philosophiæ existimationi consulimus.

Præstantia disciplinæ, æstimatur vel ex objectis: vel ex procedendi modo: vel deniq; ex usu in vitâ cõmuni. Objecti ratione & modi procedendi dubio procul, Theorica practicæ antecellit.

Quia illa versatur circa res necessarias & æternas DEUM & naturam: hæc, circa contingentes & mutabiles, hominum scilicet actiones: hinc fit ut sui illa gratia expetatur: hæc propter operationes alias: illius finis veritatis cognitio, hujus, bonitatis acquisitio: illa intellectum, hæc, voluntatem perficiat.

Ad usum verò practicæ Philosophiæ, quem in cõmuni vitâ præstat, si me convertam, non me contineo, quin ei præ theoricâ assurgam: rationes sunt hæc.

I. Mandata DEI ad actiones nos potius dirigunt, quam ad contemplationes. Præcipit DEUS, *ut proximum diligamus, non contemplemur*: præcipit *ut legis iussa exequamur, non contemplemur*: felices prædicat *non auditores, sed factores verbi*: gehennam minatur *nudo voluntatis divine contemplatori & venerationis contemptori*. Hinc Scotus 4. Sent. dist. 49. Actionem præfert con-

C 3

templa-


templationi, quod praesenti vitae sit accommodatior, & magis propria.

II. *Longe satius est Deum colere, egentem sublevare, periclitanti subvenire, patria suppetias ferre, quam operose scrutari, & sollicitè perquirere, quomodo ex equi cadavere crabrones, ex Asino scarabai, ex homine vermes & serpentes nascantur, cur frumentum in avenam abeat, & lolium degeneret. Senec. ep. 48. In libro de Philosophiâ ostendit Plato. Philosophari non esse plurimam scire, sed se ipsum cognoscere, quod sapere est: Se ipsum autem nosse, est prudentiam & iustitiam colere, adeo ut Philosophi munus sit, dirigere & corrigere humanas actiones: quicumq; hoc non facit, tanquam inutilis planta ex humano viridario, abjici & reiici debet. Idem Epl. 10. firmitatem, fidem, sinceritatem veram esse Philosophiam existimo: alias vero scientias & facultates, si quis ornamenta nuncupaverit, recte appellabit.*

III. Per hanc, naturæ legibus, Princeps & Rex constituitur, uti à Platone libro de Regno ostenditur. Per prudentiam enim conduntur leges, formantur Respublicæ, depravatæ emendantur: & homo, qui prudentiæ habitu fuerit honestatus, formâ regiâ, habituque Principis dicitur decoratus: Et Rex per naturam judicari in urbe ille meretur, qui cæteris prudentiâ præstat.

IV. Majus malum est nequitia quam inscitia, improbitas, quam ruditas. Atqui illam theoretica, hanc practica tollit Philosophia: illa bonos, hæc doctos efficit.

QUÆ



QUÆSTIO VII.

An Philosophia cum Theologia pugnet? Neg.

Quæstionē eandem sic alii informant: an, quod in Philosophiâ verum, in Theologiâ falsum esse possit? Vel, an alia sit Theologica alia Philosophica Veritas? Vel, an Theologia Philosophiæ repugnet?

Disputat hâc de quæstione insignis quidam Philosophus (ignoscat mihi quæso tam insigni à me injuria affectus, pro certo enim affirmare ausim, eum vix à limine Philosophiæ ædem salutasse, adeo in commutatione sua brevi, de naturali & illuminatâ ratione, ineptit & titubat:) Hic veluti cliens à patrono nobilissimo (qui utinam intra suæ se vocationis septa contineret, nec obtusam suam falcem in Theologicam messem immittendo, ridendum aliis se propinaret) emissus, in Theologica arena ingenii vires ut periclitaretur, in mandatis habuit. Ibat, bonus iste vir, quo poterat, quo non poterat, ibi stabat: animo certe in Philosophiam plane hostili & furenti. Magno igitur nisu id egit, ut naturæ lumen, quod Philosophiam haud immerito appellitamus, penitus profligaret, eiq; cum gratiæ lumine, seu Theologia, nil planè commercii esse, imo vero tantis ardere invicem dissidiis, ut una in veritatis templum admissa, altera continuo sit ejicienda, evinceret.

Nos etsi inficias non imus, corruptæ naturæ vitia, & Ethicorum Philosophorum exorbitantes profanitates
divini

divini luminis & ignis a deo esse impatientes, ut eo vel minimum tactæ, in fumos subito abeant.

Principia tamen nobiscum, è divinæ imaginis superstitibus in nobis reliquiis, nata, tam practica quam theorica, eaque quæ legitimè ex hisce sunt extracta, quæq; certissimo illæsi sensus, & sanæ rationis iudicio, non refragante aut reclamante DEI spiritu, sunt constituta, in se amicissimè, cum cœlesti veritate consentire, credimus & defendimus: Adeoq; sanam Philosophiam ab ethnicorum erroribus purgatam, & ad ista principia informatam, Theologiæ neutiquam adversari.

Rationes pro nobis militantes sunt hæ.

I. Dona DEI inter se non pugnant. Philosophia est donum DEI. Ergo cum Theologiâ non pugnat. Assumptionem s. Pagellis probat Philosophus VVittenbergensis Jacobus Martinus qq: Philos. Cent. 1. d. 1. q. 1. Nec repugnant sacræ literæ Exod. 31. v. 3. 2 Chronic. 1. v. 12. Daniel. 2, v. 20. 21. Psalm 94. v. 10. Jacob. 1. v. 17. Rom. 1. v. 19. 1. Corinth. 1. v. 21. ubi sapientiâ Ethnicorum expresse vocatur DEI sapientiâ, hoc est, à DEO ipsis, naturalibus mediis, communicata. 1. Reg. 4, v. 29.

II. Philosophiæ principia non pugnant cum Theologiæ principiis: Ergo nec ipsa Philosophia pugnat cum Theologia: ratio consequentiæ, quia qualia sunt disciplinarum principia, tales quoq; sunt ipsæ disciplinæ, si cōtraria principia, etiam ipsæ disciplinæ sunt contrariæ. Antecedens patet è principiorum communium enumeratione: ut, totum est majus suap arte: quodlibet est aut non est: DEUS est colendus: parentes honorandi: honestè est vivendum: suum cuiq; tribuen-

buendum. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.

Theologica sunt, DEUS est justus, vindex peccatorum, propter filium remittit peccata: Hæc ut Philosophia non impugnat aut everit, sic nec illa Theologia.

III. Quicquid ad virtutes adhortatur & à vitiis dehortatur, id non repugnat Theologiæ. Atqui Philosophia practica ad virtutes adhortatur, & à vitiis dehortatur: Ergo Theologiæ non repugnat.

Assumptionem probat finis Philosophiæ practicæ, qui is est, ut expulso affectus defectu, secundum virtutem hominis actio gubernetur.

IV. Quicquid ad operum divinorum notitiam & laudem nos perducit, id non adversatur Theologiæ, ut quæ idem serio inculcat. Atqui Philosophia Theoretica id præstat. Ergo Theologiæ non adversatur: Assumptioni fidem faciunt Physica & Mathematica.

V. Salomon eam à DEO petiit & accepit: Atqui vero si Theologiæ foret contraria, nec à Salomone petita: multo vero minus à DEO fuisset data, quæ enim illa foret DEI liberalitas, æternæ salutis obicem sapientiam petenti Salomoni ponere?

VI. Quicquid veritati divinæ repugnat, id à mendacii patre, Diabolo proficiscitur: Philosophia ab eo non proficiscitur. Ergo veritati divinæ non repugnat. Assumptio verissima est: Nil enim minus Satanæ curæ, quam ad sedulum virtutis exercitium, & assiduam operum divinorum contemplationem, hominem manu ducere, quod tamen Philosophia facere totis annititur viribus.

VII. Simplicissima est Veritas: Ergo alia non est Theologica alia Philosophica, sed utraq; definitione
D eadem,

eadem, utraq; convenientia cum suo archetypo.

VIII. Si Theologia repugnaret Philosophiæ, ad concionum suarum illustrationem è Philosophis Paulus nulla citasset dicta. Veritatem enim falsitate illustrare vel obscurare potius, non Apostolicum sed diabolicum est. Atqui citavit ex Arato, Menandro & Epimenide. Actor. 17. v. 28. 2. Corinth. 15. v. 33. ad Tit. 1. v. 12.

IX. Nec ullus sacrae scripturae locus proferri potest quo diffidium hoc vel verbotenus, vel consequenter stabiliri possit. Quanta igitur temeritatis, & improbitatis, seditionum hasce tubas inflare?

X. Quod si vero autoritatibus disceptanda res foret: Nonne cum Apostolo ad Hebræos 12. concludere nobis liceret? τὸ σθένος ἔχοντες ὡς κείνων ἡμῖν νέφεσιν ἀστέρων, ὄγκον ἀποθέμενοι, τρέχωμεν τὴν ὁδοῦ τὴν ἐπιεικῆ ἡμῖν ἀληθείας ὁδόν. Testes videantur apud Jacob. Mart. loco Paulo ante citato. Vbi memorabilia Philippi notanda Verba. *Vt desiperent ij, qui dicerent artem sutoriam pugnare cum doctrinâ Christiana, ita desipiunt, qui naturæ & morum civilium cognitionem pugnare cum religione dicunt. Ideo Paulus non ait, Philosophiam malam esse, sed sic ait, videte ne quis vos decipiat per Philosophiam: abusus vituperatur, res ipsa non improbatur, ut, si quis dicat, vide ne te decipiat vinum. Concilii Lateranensis Tertii. anno Christi 1180. celebrati verba sunt. Sacra Scriptura veritati natura non repugnat, eo quod Verum vero non contradicit. Augustinus 4. de Trinit. 6. cap. docet, utrumq; lumen naturæ & fidei à DEO esse, atq; a deo nequam inter se pugnare. Damascenus de Ethnicorum Philosophiâ loquens, Disputationes inquit, illas, *csu* *verita-**

veritatis famulas recipimus, malique in iis grassantem impietatem abjicimus, neque eo quod per se bonum est, male utamur.

Tandem Coronidis vice gravissimum Jacobi Schekii de te iudicium i. Top. expressum accurate velim perpendas. *Quibusdam logodadalis, inquit, persuasissimum est, Philosophiam esse a Theologia contaminari, cum nulla rem magis depravetur veritas, quam inscitiam vera & solida Philosophia, cuius ipsi nullum habent gustum.*



QUÆSTIO VIII.

An Philosophiæ aliquis sit usus in Theologiâ? Affirm:

Sitibi Philosophorum subtilissime (ignosce quæso nimio subtilitatis tuæ admiratori) crederem, nil planè cunctatus, in partem negantem inclinarem, diceremque; non modo à Theologiæ sacris Philosophiam tanquam profanam esse arcendam, sed usum omnino rationis obstruendum manibusque; ac pedibus, occlusis oculis, in tua somnia proruendum. Sed heus tu bone vir! tunc nos equos vis & mulos, in quibus non est intellectus? Ratio inquis humana à sacris plane arcenda. Quid ita? Nonne vero & sensum ipsemet Christus admisit, cum de corporis sui veritate incredulos discipulos certiores vellet reddere? *Palpate, inquit, & videte, spiritus carnem &*

D 2

ossa

*ossa non habet, sicut me videtis habere: Nonne vero ratio-
nis hic usum desideravit, & sufficienti materiâ suppe-
ditata ratiocinari jussit? Spiritus carnem & ossa non ha-
bet; Nos te videmus & palpamus habere carnem & ossa. Ergo
vel sensuum nostrorum judicio Spiritus non es. Quid DEI
Angelus? Nonne ad oculorum testimonium provo-
cat, ut fidem de resurrectione dominicâ mulierculis
faciat? Quid? nonne ex auditu fides? Nonne in bap-
tismo & cœnâ oculis manibusq; ratio utitur, & de invisi-
bilibus per visibilia certior redditur? Quid impedit
igitur quominus ipsum imitari Christum, à mortuis
jam suscitatum, & in exaltationis gradu constitutum,
pro veritate humanæ ejus naturæ dimicantes, sic colli-
gamus? Christi corpus in pane Cene Dominica nec videri
nec palpari nec gustari à communicantibus potest: Ergo in eo
non est, aut saltem sub corporis ratione non est. Si falsam
dixeris esse consequentiam, & enthusiasmum Philo-
sophicum, cum Christo tibi res fuerit, non nobiscum.
Si enim id quod palpari potest, & videri, verum est ho-
minis Corpus: Ergo id quod palpari non poterit nec
videri, verum hominis Corpus non erit: Christi est ar-
gumentatio, non nostra. Enthusiasmo igitur Philo-
sophico (absit dicto blasphemia) Christum prius fuisse
corruptum quàm nos, impiè dicas oportet. Sed
rationem humanam quâ fronte quæso audes elidere &
eludere? Christum, Prophetas, Apostolos, credo, ra-
tiocinantes audiendos nobis minime judicas, aut ra-
tiocinantē, ab eo qui usu rationis est destitutus, intelli-
gi posse ἀλόγως, καὶ ἀπειδύτως existimas. Constanti-
am certe hac in parte tuam laudo, quod dogmatis hu-
juscetui, de elidendâ ratione, memor, tuâ in com-
mentatione, paucissima sanæ rationis vestigia reli-
queris.*

queris. Sed restat tandem ut Philosophiam à Theologia non modò non amovendam, Sed omnibus potius votis advocandam, ob multiplices ejus usus & comoditates, ostendam. Quod antequàm faciam, cum quodam magni nominis Philosopho & Theologo, Theologiae vocem triplici significatu accipi moneo.

I. Pro fide & religione Christianâ, quæ certis quibusdam capitibus ad rudiorum captum accommodatis continetur.

II. Pro functione Ecclesiastici muneris, quod in erudiendis è DE I verbo simplicioribus, iisdemq; curandis, consistit.

III. Pro absolutâ & methodica omnium eorum notitia, quæ de Principiis, subjecto & mediis æternæ salutis, ex verbo DE I nobis revelato & scripto, extracta, & ad tuendam Cœlestem veritatem, & profligandas hæreses est apta: hæc qui sunt instructi, Theologiae Candidati vel Doctores nuncupari assueverunt.

Priores duas acceptiones hic non attendimus, postremam hanc & tertiam, adeo egere Philosophiæ adminiculo dicimus, ut sine ejus notitiâ haberi plane & perfecte neutiquam possit.

Generalis ratio, per species deinceps deducenda, est hæc:

Duo Theologi, secundum Paulum, sunt requisita, I. Vt sit *διδασκαλός*, i. ad Timoth. 3. v. 2. II. Vt sit *δυνατός ἐλέγχειν τὰς ἀντιλήγουσας*. Ad Tit. 1. vers. 9. Illud consistit in solida veritatis divinæ intelligentia & assertione: hoc in efficaci hæresium & impietatum impugnatione, everfione. Atqui neutrum sine Philosophiæ cognitione perfecte potest haberi. Ergo necessaria omnino est Philosophia futuro Theologo.

Propositionis membrum primum de doctrinâ sic demonstratur. Nec simplices omnes termini qui occurrunt in doctrina: nec axiomata seu conclusiones omnes citra Philosophiam intelligi possunt. Ergo doctrina sine Philosophia perfecta esse nequit. Antecedens I. quoad simplices terminos constat. Occurrunt in doctrina termini Philosophici perquam multi, ut, *Essentia, existentia, τὸ ὄν unum bonum, verum, Creatio, Cælum, terra, ignis, aer, arbores, homo, animalia bruta, metalla, stelle, &c. Ut patet ex Mose, Psalmis, Iobo, Salomone, Esaia: totus item virtutum & vitiorum chorus: Regnum, Rex, subditus, lex, bellum, Pax, animæ facultates, arbitrium liberum, necessarium, contingens, Persona, natura, Idiomaticum communicatio, locus, finitum, aeternum. Entia item ista, quæ vocantur relativa, Sacramentum, conjugium, &c.* Hæc inquam omnia (artium instrumentalium terminos taceo,) intelligere; & scripturæ loca, in quibus illa occurrunt rite interpretari & ad usum accommodare (quandoquidem scriptura sæpè ex rebus naturalibus elegantissimas ducit similitudines) sine Philosophiâ tam theoreticâ quàm practicâ, est plane ἀδιώατον: quod egregiè insigni & aureo libello, cui titulus Philosophia sacra, Vallesius, & Lemnius tractatu de gemmis in sacrâ scripturâ occurrentibus, demonstrarunt.

Haftenus igitur prima pars antecedentis, quo ad simplices terminos in Theologia frequentes, firmata. Altera de axiomatibus seu conclusionibus demonstratu haud est difficilior. Conclusiones igitur Theologicæ vel sunt puræ vel mixtæ. Puræ, quæ solis constant Theologicis terminis: mixtæ, quæ partim Theologicis,

cis, partim Philosophicis constant. Illæ ut citra Philo-
sophiam cognosci possunt, sic hæ, minime.

Hujusmodi sunt, quæstiones istæ. *An sacra Trini-
tatis persona sint modi existendi? An humana Christi natu-
ra sit ubiq;? An cælum beatorum sit Corpus? An anima da-
mnatorum ab igne infernali possint pati? An due in Christo
natura duas faciant personas? An panis & vini accidentia
in sacra Eucharistia per se possint subsistere? An Christi Cor-
pus sit circumscriptum, visibile, palpabile? An Pontifex
Romanus Ecclesie viatorum sit monarcha? An clerici politi-
ca tractare debeant negotia? &c.* Omnes hæ conclu-
siones quæ terminis constant partim Theologicis par-
tim Philosophicis à puro Theologo intelligi nullo
modo possunt.

Sic igitur Syllogismi primi pars prima, quo ad do-
ctrinam est demonstrata, altera quoad Elenchum est
præmissis nullo negotio educitur. Cum enim So-
phismata Philosophicis telis contra veritatem sæpe-
numero violentissime sint contorta, in promptu cui-
vis est intelligere, non posse ea elidi, nisi è veræ
Philosophiæ armamentario, nec retundi solerter ni-
si iisdem armis. Vti præter quotidianam experien-
tiam, videre est ex antiqui seculi scriptoribus: Justi-
no Martyre, Origene, Nazianzeno, Hieronymo,
Chrysostomo, Epiphano, Augustino, Arnobio & aliis.
Et nostro quoq; seculo Lutherus & Melancton, non-
ne Philosophicis armis fuere instructissimi? Et quis
quæso insignis hæc tempestate Theologus habetur, nisi
in utrumque sit paratus? Impudens ut sit Hispani cu-
jusdam sacrificuli calumnia *Lutheranos* (sic papisticæ
idololatriæ desertores, nuncupat) *ne discipulis suis
errores absurdissimi deprehendantur, cupere eos ab omni
cognô-*

cognoscendi ratione sevocare. Calumnia, inquam, hæc impudens, & ab adolescentibus Philosophiæ studiosis studiose retundenda. Conclusum igitur esto: Verfari in Theologicis cum fructu non posse, qui humanioribus hisce studiis non sit initiatus.

Tuæ vero considerationi illa Schegkii verba, i. De demonst: relinquo. *Nemo, inquit, est qui magis criminetur hæc studia, quam qui sibi metuit à Veritate argumentorum, quibus se opponere non potest.*

QUÆST IX.

*Sintne tres tantum scientiæ
speculativæ? Neg.*

SEnatui equidem & populo peripatetico sic visum, tres esse tantum scientias speculativas. Metaphysicā, cuius subjectum Ens quā Ens, statuunt. Physicam, cui corpus naturale subjiciunt, & Mathematicam, cui quantitatem vendicant. Nos æquis lancibus rem totam ponderantes, & à peripateticis velut *διδόμερον* sumentes: Metaphysicam scientiam esse generalissimam, & reliquas omnino scientias transcendentes: Sic differimus.

Scientia generalissima & reliquas omnes scientias transcendens, ad nullius Entis specialem & absolutam considerationem debet descendere. Ergo nec illa peripatetici eorum Metaphysica speciali intelligentiarum tractatione occupari debet. Sic enim ex generali particularis evaderet: extranscendente descen-
dens.

dens. Aut si generalitati ejus nihil officit, demittere se ad specialem Intelligentiarum contemplationem: quid ni eodem jure ad specialem corporum theoriam descendat? Cum Ens quatenus Ens non magis in corporeas quàm corporeas respiciat, substantias. Quod si tentare hoc licuerit in substantiis, quid ni in accidentibus idem quoq; ausit? adeoq; antiquum chaos reducat, omnemq; scientiarum distinctionem tollat? Hæc igitur ut prævertamus incommoda, quatuor esse scientias speculativas affirmare nil dubitamus. 1. Generalem scientiam de Ente, ejus affectionibus & generalissimis speciebus. 2. Metaphysicam de intelligentiis. 3. Physicam de corpore naturali. 4. Mathematicam de quantitate. Nec deest, qui quintam induci posse probabili satis ratione concludit, DE DEO quæ agat. Si enim inquit unam subscientiam revocari non debent corporeæ & in corporeæ creaturæ: multo minus intelligentiæ creatæ, & DEUS, ut quæ longioribus à DEO distant intervallis, quam à rebus corporeis. Hæc haud ignorasse quidem Aristotelem concedit, sed studio veluti appendicem Metaphysicæ adjecisse contendit, quod de Summo illo Ente exigua valde nostra esset cognitio.

QUÆSTIO X.

An distributionis Scientiarum speculativarum sufficiens posset reddi ratio? Aff.

DE Scientiarum speculativarum inventione pluribus differit Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 6. sect. 1. Summa hæc est. Primi scientiarum inventores cum incerta & vaga esse rerum in dividua
E depre-

deprehendissent, proindeque scientiis parum idonea.
Caperunt à singularibus ea circumstantiis beneficio
mentis abstrahere, iisq; quæ omnibus ejusdem speciei
vel generis exæquo inessent, observatis, naturam uni-
versalem constituerunt, quæ à materiâ, quo ad fieri
posset, esset secreta.

Primus igitur abstractionis gradus se obtulit à materia
sensibili singulari, ut cognoscerentur quidem res sensi-
biles, & de iis disputaretur, verum non de hac vel il-
lâ, sed toto aliquo rerum genere: dicta hæc abstractio
Universalium naturalium sensibilibus à suis singulari-
bus: & Philosopho naturali est objecta.

Alter abstractionis gradus obtulit se à materiâ non
singulari tantum sed & sensibili, quomodo quantita-
tem abstraxerunt, quæ nec ipsa per se est sensibilis, nec
per materiam definitur sensibilem, eò quod prior qua-
litas sit, easq; per motum accipiat & abjiciat. Ma-
teriam tamen eam intelligibilem appellarunt, quod
in partes esset divisibilis, & proprium alicujus sensus
sensibile non esset: Hanc Mathematico assignarunt.

*Ad tertium dehinc abstractionis gradum sunt progres-
si.* Cum igitur in rebus sensibilibus nihil invenissent,
quod ab utrâq; materiâ separari posset, in id incubue-
runt, ut essetne extra res sensibiles natura aliqua, quæ
sine utraq; materiâ concipi posset, quærent. Hanc
cum ex effectis materialibus quæ à rebus utriusq; ma-
teriæ expertibus, necessariò dependere sunt depre-
hensa, investigassent, adeoq; indagine suâ ad primam
rerum causam fuissent elevati, tandem substiterunt.
Ex hoc igitur rerum omnium immaterialium inven-
to genere, primam Philosophiam constituerunt. Hæc
prima fuerunt scientiarum contemplivarum, ex
mente Philosophi, *incunabula.* Ex

Ex variâ ergo rerum à materia abstractione & secretione contemplantium scientiarum varietatem eduxerunt. Ea è mente Philosophorum scholasticorum est triplex. Prima à materia singulari & signatâ. Altera à materia non solum singulari sed etiam universali non quidem secundum rem, sed secundum rationem & cognitionem. Tertia ab omni materiâ secundum rem & rationem. Prima physica, secunda mathematica, tertia metaphysica est considerationis. Distributiones hæ, & si quæ aliæ sunt ejusdem valoris haud obscure innuunt: Omnia ista quæ metaphysica sunt considerationis, quoad rem & rationem à materiâ esse sejuncta; quod cum falsum omnino esse ex ipso metaphysicæ parente Aristotele ejusq; interpretibus & modernis quoq; philosophis palam sit ut qui ex professo de prædicamentis, quæ à materiâ, separari secundum rem non possunt, in metaphys. de substantiâ corruptibili fuisse Aristoteles agat. Et vero generalis quædam de corpore contemplatio à metaphysicis non possit excludi: immo vero Ens verum, bonum, actus, Potentia, tam materialibus quam immaterialibus insunt: utiq; vulgatam istam rationem ex abstractione sumptâ, haud sufficientem, immo vero ex parte falsam esse, est in propatulo.

Videtur igitur veritati similior hæc esse ratio è subjectis desumpta. Subjectum Philosophiæ est vel generale, quod omnes inferiorum Entium ordines, ordine tamen certo percurrit, quod scientiæ generalis, quam metaphysicam vulgo vocant, contemplationi subjacet: Vel speciale, idq; vel substantia vel accidens. Substantia vel in corporea vel corporea: illam metaphysica proprie sic dicta, hanc physica contemplatur.

Accidens, quod peculiarem subiecti scientifici rationem subit, unicum est. Quantitas, quæ mathematicæ est speculationis.

Cur autem ex accidentibus solius quantitatis, tanquam subiecti, scientia integra tradatur: Respondet Fonseca, *institutum erat Philosophis, abstrahere ad scientias constituendas, non nisi substantias, aut ea quæ substantia conditionem haberent, quod ea sola essent, de quibus videbatur habenda consideratio tanquam de subiectis, de quibus affectiones essent, demonstranda: in quorum numero solam quantitatem merito ponendam iudicarunt.*

Omnia facite ad DEI gloriam.

V017

ULB Halle
003 252 043

3




Sb.





B.I.G.

Farbkarte #13



1613 1
31

C A S
LEMA-
ILOSOPHI-
R V M
DE
HIE ESSEN-
ntia: normis: Con-
Theologia: par-
ibus,
P O S I T A
hantium iudicio, in
natus Lyceo:
horâ VIII. matutinâ.
Æ S I D E
DERICO VVENDE-
Gymnasii Rectore, &
ia Professore.
O N D E N T E
E S P E C H T
iens: Siles:
risto M. DC. XIII.
V E S T Æ
charias Dörfferus.

